CHRISTOPHORI SONNLEITHNER
J. C.

DISSERTATIO
ANTI-FEBRONIANA

DE

INFALLIBILI

ECCLESIAE DISPERSAE

CONSENSU.






VIENNAE,
APUD RUDOLPHUM GRAEFFER 1775.

I. ad Timoth. III. 15

— Scias, quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quæ eſt *eccleſia* Dei vivi, *columna & firmamentum veritatis.*



Monitum ad Lectorem.

Vix Juſtini Febronii liber ſingularis de Statu eccleſiæ publicam lucem adſpexit, illico ex omnibus mundi plagis ſcripta adverſus eum proruperunt. Cum vero ii, quos Febronius adverſarios nactus eſt, homines eſſent principiis ultramontanis innutriti, & falſi de ſtatu eccleſiæ monarchico ſyſtematis tenaciſſimi, hinc

factum eſt, ut in eas tantum Febronii doctrinas calamum ſtrinxerint, quæ prætenſo eccleſiæ ſtatui monarchico & reliquis ultramontanorum opinionibus bellum indicebant. Aſt prout mihi cum his quisquiliis, quas ſerior ætas produxit, & veneranda antiquitas ignoravit, res non eſt, quin potius mihi hac in re cum Febronio omnibusque illis, qui formam eccleſiæ non ex quorumdam præconceptis opinionibus, ſed ex genuinis Evangelii & apoſtolicæ traditionis fontibus æſtimant, facile convenit, ita me quoque hujus eruditi viri auctoritas non adeo excæcavit, ut reliquis ejus doctrinis absque diſcrimine adſtipularer.

larer. Id ſane a me hactenus impetrare non potui, ut eccleſiæ per orbem diſperſæ utut ſuper dogmate morumve regula conſentienti infallibilitatem, prout ille, abjudicarem, hocque peculiare hujus ſacræ civitatis donum ſolis conciliis œcumenicis vendicarem. Eſt quidem hæc quæſtio nullo adhuc eccleſiæ canone definita, adeoque eruditorum hac de re libera diſputatio, verumtamen non eſt una ex iis, quæ ſanæ doctrinæ & charitati nullum penitus præjudicium inferunt, quin potius ab infallibilitate eccleſiæ diſperſæ ipſam integritatem veritatis evangelicæ multa ex parte dependere mihi penitus eſt perſuaſum.




Hunc ergo laborem, quo ecclesiam dispersam ab erroris periculo contra Justinum Febronium vindico, B. L. æqui bonique consule, & si quid vel argumentorum gravitati vel stili elegantiæ deesse adverteris, conatum saltem adproba.

Vale.



DISSER-



DISSERTATIO
ANTI-FEBRONIANA
DE
INFALLIBILI ECCLESIAE DISPERSAE CONSENSU.

§. I.

Quamvis ecclesiæ catholicæ cum reliquis hominum societatibus rectoriis in eo conveniat, quod Deum ter optimum maximum auctorem habeat; * in eo tamen præprimis ab om-

* *Non est enim potestas* teste apostolo Paulo ad Roman. XIII. v. 1. *nisi a Deo & Regibus data*

nibus aliis diſtincta eſt, quod in iis, quæ ad finem illius neceſſaria ſunt, a beni-gniſſimo ſuo conditore infallibilitatis dono prædita ſit.

§. II.

Hanc eccleſiæ infallibilitatem non tantum ſacra ſcriptura *) verum etiam ipſa naturalis ratio **) adeo clare docent, & tam Theologi quam Juriſconſulti noſtri tanta cum perſpicuitate jam demonſtrarunt, ut Homerum poſt Iliada canerem, ſi huic themati a ſcopo meo ceteroquin alieno diutius inſiſterem.

§. III.

ta eſt a Domino poteſtas & virtus ab Altiſſimo Sapient. Cap. VI. vers. 4.

*) Mathæi XVIII. v. 17. & XXVIII. v. ult. Joan. XIV, v. 16. 25. & 26. ibidem XVI. v. 13 Act. Apoſt. XV. vers. 28. Paul. I. ad Timoth. Cap. II. vers. 15.

**) Omnes hominum in homines poteſtates excepta ſola ea, quæ eccleſiæ Chriſti in fideles competit, tranſitoriis rebus occupantur, quæ, etiamſi in ſe boni quid contineant, tanti tamen non ſunt, ut homo iis ad obtinendum finem ſibi a ſuo creatore præfixum

&

§. III.

Scio quidem hæreticos dogma hoc exinde potissimum impetere, ac si inter nos Catholicos de subjecto infallibilitatis nondum satis constaret, dum alii,

& a benignissimo servatore restitutum indigeat. Quemadmodum ergo homo ad ultimum creationis & redemptionis suæ finem pertingere potest, etsi bona hujus sæculi spem ejus omnem fallant, ita quoque necessarium non est, ut potestas, qualiscunque demum illa sit, quæ hujuscemodi bona procurat, ab erroris periculo immunis existat. Demus enim ex legibus, quas parens, herus, paterf. aut imperans subditis suis fert, eam, quæ sperabatur, non redundare utilitatem: demus bellum, fœdus, pacem intentum non attingere finem: demus commercia e votis non succedere, quid quæso! amittunt subditi? nil nisi bona transitoria, bona, quæ insuper habere, floccique facere facile queunt, dummodo animarum suarum detrimentum non patiantur (Marci VIII. vers. 36). Ast bonum illud, ad quod nos ecclesia a Christo Domino instituta perducit, tam sublime tam necessarium homini est, ut, si illo excidat, miserrimæ sane & adeo deplorandæ conditionis sit, ut ipso salvatore teste melius foret, si nunquam natus fuisset (Marc. XIV. vers. 21). Quemadmodum ergo Deus, si infallibilitatis donum reliquis hominum imperiis concessisset, in superfluis abundasset, ita, si illud ecclesiæ suæ denegasset, in necessariis defecisse jure merito argui posset.

ut ajunt, ſummo Pontifici, alii conciliis tantum peculiare hoc donum vendicant, *) ſed dum hæc contra nos effutiunt, ſummam aut ignorantiam, aut impudentiam produnt. Certus enim, & a nemine catholicæ communionis in dubium revocatus eſt canon, Epiſcopos in concilio œcumenico legitime congregatos univerſam eccleſiam repræſentare, ideoque in decidendis fidei morumque quæſtionibus infallibiles eſſe. **)

§. IV.

Hæc duo duntaxat in utramque etiamnum partem diſputantur: I. an ſummus Pontifex ſolus ex cathedra definiens, II. an eccleſia diſperſa ſuper quadam fidei, morumve regula absque ulla congregatione conſentiens, æque

ca

*) Ita ratiocinatur Juſt. Henning. Böhmerus in diſſert. de jure circa libert. conſcient. Tomo II. Jur. eccleſ. Poteſt. præfixa §. 10.

**) qui id ex S. Scriptura, perpetua eccleſiæ traditione & Teſtimoniis S. S. Patrum demonſtratum videre vult, conſulat eos, qui de conciliis, eorumque auctoritate data opera ſcripſere.

ac consilia œcumenica, erroris periculo careat ?. Sed hæ quæstiones eruditorum altercationibus relictæ, neque dogmati prius stabilito officiunt, neque certitudinem nostræ fidei nutare faciunt. *)

§. V.

Ex his ergo, quæ hactenus dicta sunt, quivis facile cognoscet, me, dum infallibilitatem ecclesiæ dispersæ super fidei vel morum regula consentientis præsenti dissertatione adstruere conor, non de dogmate fidei catholicæ, sed de quæstione inter nostrates adhucdum controversa disputare.

§. VI.

*) Sive enim S. Pontificis extra concilium definientis, aut ecclesiæ per orbem dispersæ infallibilitatem neges, sive affirmes, parum refert, est enim & remanet semper adhuc illud ex omnium Catholicorum ore irrefragabile judicium concilii æcumenici, cujus possibilitatem, etsi quidam rerum divinarum minus æqui æstimatores ex rationibus politicis hodiedum in dubium vocare velint, ab eo tamen exigente necessitate semper tuto sperari potest, qui se ecclesiæ suæ usque ad consummationem sæculi adstiturum fore multoties promisit.

§. VI.

Sunt quidem ii, qui infallibilitatem ecclesiæ dispersæ in dubium vocant, pauci *) numeroque illis, qui eandem asserunt, longe inferiores. **) Ast cum veritatem opinionum, neque ex numero, neque ex auctoritate Doctorum, sed ex rationum ab utraque parte allatarum pondere metiri oporteat, non inanem operam me impensurum esse existimo, si doctrinam, etsi a paucis tantum impugnatam denuo elucidandam in me suscipio; præsertim cum

*) Ipse Febronius præter Gersonium de potest. ecclesiæ, consid. IV. & Almanium de auth. eccles. nullum alium causæ suæ patronum adducit, nec alium forsan invenit.

**) Præter Perillust. de Riegger Inst. Jur. eccles. P. I. Cap. 5. Reverendissimum a Rautenstrauch Inst. Jur. eccles. Cap. III. §. 95. & 96. Clarissim. Schrodt Inst. Jur. eccles. tit. II. §. 102. Celeber. Muratorium de Moder. ingen. in Relig. negot. Lib. I. Cap. 11. & 14. & Clariss. Claudium Fleurii in dissert. XII. in hist. eccles. pag. mihi 648 editionis germanicæ viennensis de ao 1771. reliquorum loco nominasse sufficiat Illust. Meldensium Episcopum Jacob. Benig. Bossuet in defens. Declar. Cler. gallic. Lib. IX. & X. edit. Amstelod. Tom. II.

cum eam etiam a ſuis patronis, non ſemper ex ſuis, intimisque rationibus propugnatam eſſe videam.

§. VII.

Inter paucos illos, qui opinioni contrariæ favent, eminet Juſt. Febronius, qui in lib. ſingul. de ſtat. eccleſ. Cap. VI. §. 8. & 9. extraconciliari omnium, vel ſaltem plurimorum Epiſcoporum conſenſui magnam quidem venerationem deberi aſſerit, aſt *irrefragabilem & talem, quæ pro formando articulo fidei deſideratur*, *certitudinem* neutiquam tribuit, hancque ſuam theſim in ſubnexis ſcholiis per longam argumentorum farraginem probare contendit.

§. VIII.

Ut igitur in convellenda hac Febronii opinione & adſtruenda eccleſiæ diſperſæ infallibilitate recto ordine procedam, I. caſum ſeu ſtatum quæſtionis ob oculos ponam, II. argumenta meæ ſententiæ ex S. Scriptura, traditione,

conciliis, S. S. Patribus, & recta ratione deprompta, exponam, & demum III. ea, quæ Febronius in contrarium affert, sub incudem revocabo.

§. IX.

Casus controversiæ, de qua agimus sequens esto: exoritur in quodam christiani orbis angulo hæresis, hanc Episcopus, cujus gregem vexat, prævia disquisitione quidem condemnat, sed malum non tantum non sopitur, sed latius in dies serpit. Episcopi finitimi vel singuli, vel in synodos provinciales coeuntes hæresin æque atro calculo notant, res demum ad summum Pastorem defertur, hic suam sententiam reliquis per orbem Episcopis exponit. Omnes vel saltem tot numero Episcopi summi Pastoris sententiæ accedunt, *ut non multi ex adverso stent.* *) Quæritur in hoc casu, an consensus hujusmodi Episcoporum

*) Sunt verba ipsius Febronii cit. Cap. VI. §. 8, ubi casum præsentis quæstionis proponit.

porum per orbem diſperſorum æque infallibilis ſit, ac ſi in concilio quodam œcumenico congregati ſententiam ſuam declaraſſent.

§. X.

Si textum Mathæi Cap. XXVIII. vers. ult. paulo penitius intuemur, & circumſtantias, in quibus divinum hoc oraculum ex ore ſalvatoris noſtri prodiit, æquo animo penſitamus, dubitare vix poſſumus, Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus non tunc ſolummodo, ubi congregati fuerint; verum etiam diſperſis, & per orbem quaſi disjectis adſiſtentiam ſuam & mediante ea, infallibilitatis donum promiſiſſe.

§. XI.

Erat enim tunc tempus, quo benigniſſimus redemtor poſt glorioſam ſuam reſurectionem Apoſtolis ſuis munus annuntiandi per univerſum orbem evangelium injunxit, eosque, ut hac legatione

tione apud omnes gentes rite fungerentur, pleniſſima, quam ipſe a cœleſti ſuo patre obtinuit, poteſtate inſtruxit. Erat inquam tunc tempus, quo Jeſus Chriſtus Apoſtolos, qui hucusque lateri ſuo adſtabant, & tam mortem, quam reſurrectionem ejus intuebantur, ſe a ſe invicem ſeparare, univerſum orbem peragrare, regnumque gratiæ omnibus gentibus annuntiare juſſit*, & dum hæc jubet, iis ſimul adſiſtentiam ſuam omnibus diebus pollicetur. **) Quis jam ponderatis hisce circumſtantiis affirmare audebit, Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis congregandis ſolummodo infallibilitatem tunc promiſiſſe, cum de nulla re minus quam de congregatione, quin potius de diſperſione eorum per univerſum orbem ſermo eſſet?

§. XII.

*) Dixit enim: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*, euntes ergo docete omnes gentes, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.*

**) Statim enim ſubjunxit: *& ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem Sæculi.*

§. XII.

Et qua fronte demum adſiſtentiam illam, quam divinus Servator Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus *omnibus diebus* adeoque ſine ulla temporis uſurpatione conceptis adeo verbis pollicitus eſt conciliis tantummodo vendicare poſſumus, quæ ſingulis diebus, annis aut Sæculis non congregantur, quin imo durantibus per tria ſæcula imperatorum ethnicorum perſecutionibus ne congregari quidem potuere. *)

§. XIII.

Modo non abſimili Chriſtus Dominus Joann. XVI, dum Apoſtolis ſuis horam, *qua diſpergatur unusquisque* adveniſſe pronuntiat, ſimul quoque *Spiritum S. docturum eos, omnem veritatem* promittit. *)

 §. XIV.

*) Conf. Reverendiſſ. a Rauttenſt auch loc. cit. §. 95. in Nota, & Perill. de Riegger loc. cit. §. 346. in Nota

*) ex quo iterum clare patet Chriſtum Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus Spiritus S. adſiſten-

§. XIV.

Verumquidem eſt, neque eo infi- cias, concilia eſſe media promptiora ad eruendum eccleſiæ catholicæ ſuper controverſiis fidei ſenſum, ideoque ea, ubi haberi poſſunt, exigentibus rerum circumſtantiis celebranda eſſe, & tam ab Apoſtolis, quam ab eorum ſucceſ- ſoribus ſemper laudabiliter eſſe celebra- ta, verum exinde neutiquam ſequitur, eccleſiam diſperſam, ubi de ejus con- ſenſu conſtat *), minus quam concilia in- fallibilitatis dono præditam eſſe.

§. XV.

adſiſtentiam non modo, ubi in nomine ejus congregati fuerint, verum etiam tunc quàm maxime ſpopondiſſe, ubi per omnes gentes *diſperſi* exſtiterint.

*) quomodo de conſenſu eccleſiæ diſperſæ primis ſæculis conſtiterit, & quomodo ho- diedum de eo facile conſtare queat, docet Reverendiſſimus a Rauttenſtrauch cit. loco §. 96, cujus verba huc adſcribi merentur. *Olim quidem* ait, *quemadmodum eccleſiæ catholicæ unitas & Epiſcoporum per orbem terrarum in fidei capitibus conſenſio* epiſtolarum communi- catoriarum *commercio ſuſtentabatur, ita conſtare itidem de conſenſu eccleſiarum perfacile poterat. At dum hodie uſus earum intercidit, ad libros ſymbolicos confugiendum. Quodſi enim Synodi nationales, provinciales, diœceſanæ, quarum o-* mnium

§. XV.

Quid etenim per physicam Episcoporum congregationem virtuti spiritus S. accedat, hactenus penetrare non potui. Nam etsi ultro concedam, in conciliis plerumque fieri *magnam disquisitionem*, *) veritatem per rationes hinc inde adductas summopere dilucidari, argumenta adversariorum ad trutinam S. Scripturæ, & S. S. Patrum diligentissime exigi, & ut uno verbo omnia complectar, causas fidei morumque controversas penitius forsan, quam ab aliquibus Episcopis sedi suæ immorantibus expendi, meminisse tamen oportet, infallibilitatem ecclesiæ, adeoque etiam conciliorum eam repræsentantium non ab eruditione, non ab adsistentia, & disquisitione Episcoporum, sed solum ab adsistentia invisibili Spiritus S. falli ac fallere nescii dependere.

omnium magnus est numerus, nec non cathechismi publici, ac ritualia conspirent, de unanimi ecclesiæ consensu nullus relinquitur dubitandi locus.

*) Qualis facta fuit in Concil. Hierosol. super controversia legalium observatione celebrato Actor. XV. vers. 7.

§. XVI.

Invenimus ſane Actor. XI. conventum ſuper quæſtione maximi momenti celebratum *), in quo nulla penitus *diſquiſitio* facta eſt, ſed ſolus S. Petrus viſionem ſibi a Deo immiſſam narravit, qua narratione finita omnes *tacuerunt* **) *& glorificaverunt Deum dicentes: ergo & gentibus Deus dedit pœnitentiam ad vitam.*

§. XVII.

*) An nimirum evangelium ſolis judæis, an vero etiam gentilibus ſit annuntiandum? a qua quæſtione ſalus æterna tot millium hominum dependebat.

**) Afferat nunc Febronius, ejusve aſſeclæ vel unam tantum rationem, quæ huic deciſioni conciliari majorem quam extraconciliari eccleſiæ conſenſui fidem conciliare poſſit. Certe nullam ex omnibus iis, quas in ſuo opere adduxit, & nos § præcedenti indicavimus, inveniet. Ponamus enim S. Petrum viſionem illam, quam pro confirmatione ſuæ ſententiæ de prædicando etiam gentilibus evangelio adduxit, fratribus ſuis hac de re dubitantibus ſcripſiſſe, an ne minorem forſan ſcribenti, quam cominus narranti adhibuiſſent fidem? an ne *taciturnitas* abſentium minus roboris quam præſentium habuiſſet? certe nullam adſtruere poſſumus rationem; cur unum alterumve affirmemus. Habet ſane eccleſia Dei hoc peculiare, quod teſte S. Auguſtino Epiſt. 55 ea, quæ contra fidem vel bonam vitam ſunt, neque adprobet,

§. XVII.

His igitur rationibus innixum concilium Tridentinum Seſſ. V. in decreto de peccat. originali, Seſſ. XIII. Cap. I. & Seſſ. XIV. Cap. I. ubi graviſſimas fidei controverſias dirimit, non ſolum ad ſacras ſcripturas, Sanctorum Patrum, & probatiſſimorum conciliorum teſtimonia, verum etiam ad ipſius eccleſiæ *conſenſum* & judicium tanquam ad fontem ſuarum deciſionum provocat.

§. XVIII.

Et ſi hiſtoriam eccleſiaſticam conſulimus, & vel ſola Pelagianæ hæreſis fata conſideramus, nullum plane dubium ſupereſſe poteſt, eccleſiam diſperſam

bet, neque *taceat*, neque faciat, idque ſine dubio ex illa perpetua, quam huic eccleſiæ ſuæ Chriſtus promiſit, adſiſtentia profluit. Si ergo primus paſtor quamdam fidei morumve doctrinam reliquis Epiſcopis proponit, iique eam vel ſola taciturnitate approbant, qua fronte hoc ſilentium Paſtorum erroris periculo obnoxium eſſe affirmare poſſumus, quod teſte Auguſtino vel abrumpi, vel ſi id non fiat, pro certa veritatis regula haberi debet.

ſam eadem, qua concilia œcumenica ſine dubio gaudent, infallibilitate pollere. Scimus hanc hæreſin tempore S. Auguſtini nullo plenario concilio condemnatam fuiſſe. Hoc tamen non obſtante idem S. Doctor lib. I. contra Julian. Cap. 2. & Serm. II. de verb. Apoſt. Pelagii fautoribus ad judicium œcumenicæ Synodi provocantibus *cauſam* jam *finitam* eſſe oppoſuit, nulla alia ductus ratione, quam quod doctrinam Pelegianæ contrariam *Romana cum ceteris perſeveranter teneat eccleſia* *).

§. XIX.

*) Exoriente & latius in dies ſerpente Pelagii hæreſi, plura in Africa fuere celebrata concilia (quæ videri poſſunt apud Petr. Annatum Tom. II. opp, Lib. V. Art. 6.) eorumque acta ad Innocent. I. ſum. Pontificem transmiſſa, qui dum ea probavit, ſuamque deſuper ſententiam eccleſiæ expoſuit, dum demum hæc eandem cum Romana perſeveranter tenuit doctrinam, S. Auguſtinus *cauſam* jam *finitam* eſſe contendit, quod certe Pelagianis nullo plenario concilio adhuc damnatis oggerere non potuiſſet, ſi vel ipſe vel alii tunc temporis ſola concilia œcumenica pro ultimo dirimendarum fidei controverſiarum judice agnoviſſent. De cauſa S. Cypriani, in qua Febronius S. Auguſtinum contrariæ opinioni faviſſe autumnat, infra dicendi locus erit, ubi ejus argumenta explodam.

§. XIX.

Nec etiam in ipſis conciliis, quæ univerſa eccleſia tanquam œcumenica veneratur, eam, quam Febronius tantopere urget, phyſicam Epiſcoporum unionem invenimus. Concilium Conſtantinopolitanum I. ex ſolis orientalibus congregatum erat, & eo tamen non obſtante, ab omnibus pro œcumenico habetur ideo ſolum, quia Epiſcopi occidentales iis, quæ de fide orientales definiverant, vel in concilio a Pontif. Damaſo Romæ celebrato *) vel ut alii volunt **) conſenſu ſuo extraconciliari acceſſerunt.

§. XX.

Si autem Epiſcopi in duobus conciliis & loco & tempore diverſis con-

*) Uti opinatur Annatus in Adparat. ad Theolog. Poſit. Tom. II. Lib. V. Sect. 3. Art. 3. & van Eſpen Tom. opp. III. in diſſert. in Synod. œcum Conſtantinop. I. §. XIII.

**) Fleurii hiſt. Eccleſ. lib. XVIII §. 1. & Muratorius in annal, Ital. ad ann, CCCLXXXI.

gregati vel Synodo cuidam particulari assensum suum præbentes unam eandemque Christi ecclesiam repræsentant, eorumque decisiones infallibilitatis dono absque dubio præditæ sunt, cur non idem de iis affirmare queamus, si extra omnem penitus congregationem dogma aliquod acceptant, rationem nullam sufficientem video *).

§. XXI.

Et unde quæso! nobis constat, hoc vel illud concilium œcumenicum legitimum quoque fuisse, nisi ex consensu ecclesiæ dispersæ? habuit eodem tempore, quo concilium Ephesinum Præside S. Cyrillo celebrabatur, Joannes

*) Certe concilium tam Constantinopolit. quam Romanum, si quod desuper celebratum fuit, in se erant particularia. si ergo hæc concilia in se particularia propter solum consensum infallibilia fuere, etiam Episcopi per orbem dispersi inter se tamen consentientes infallibiles esse debent, quia concilia particularia in se spectata non magis quam singuli Episcopi, ab erroris periculo immunia sunt.

nes Antiochenus conventum plurium Epiſcoporum in eadem urbe Epheſina. Utrumque concilium cauſam fidei definiebat, ſed diſpari prorſus ratione. Hoc enim Neſtorii doctrinam orthodoxam eſſe pronunciavit, illud vero Neſtorium ejusque Blasphemias anathemate perculit; hoc S. Cyrillum, Illud vero Joannem Antiochenum depoſuit *) unde ergo ſcimus illud legitimum concilium, hoc vero conciliabulum fuiſſe? ex nulla certe alia quam hac ratione, quia eccleſia catholica per orbem univerſum diſperſa illud pro legitimo & vere œcumenico habuit, hoc vero tanquam conciliabulum reprobavit.

§. XXII.

Pſeudo-Concilio Trullano ſeu quiniſexto intererant plures quam ducenti Epiſcopi cum legatis Sergii S. Pontifi-

*) Hiſtoriam utriusque hujus concilii late deduxit, Fleurii in Hiſt. Eccleſ. Lib. XXV. §. 45 & ſeq.

cis *), Synodo Ephesinæ II. præter Julium Puteolanum S. Leonis Papæ legatum, tres Patriarchas, & plures Exarchas & Metropolitanos adfuere Episcopi centum & triginta **), & hoc tamen non obstante neque unum neque alterum conciliis æcumenicis adnumeratur ex nulla iterum alia ratione, quam quia neutrum ab ecclesia saltem quoad omnia receptum & adprobatum est ***).

§. XXIII.

*) Vid. Fleurii hist. Eccles. Lib. XL. §. 49. & Van Espen differt. in Synod. quinisextam sive Trullan. §. un. Tom. opp. III,

**] Fleurii hist. Eccles. lib. XXVII. §. 38.

***] Subscriptioni enim synodi quinisextæ, quamquam disciplinaria tantum definivisset, adeo mascule se opposuit Sergius I. S. Pontifex, ut periculo carceris se libentius exponeret, quam Canones hujus Pseudo Synodi reciperet. Fleurii *hist* eccles. lib. XL. §. 54. A reliquis occidentalibus hos canones æque parum receptos esse eo minus dubitandum est, quo certius ex eorundem lectione constat, plures eorum disciplinæ ecclesiæ occidentalis e diametro contrariari vid. hi canones apud cit. Fleurii lib. cit. a §. 50. usque 54. & quamvis alii, uti Van Espen differt. cit. ex Anastasio Bibliothecario & Can. I, concilii œcum. VII. probare conentur, aliquos saltem Canones hujus Synodi

§. XXIII.

Si ergo, uti ex allatis exemplis patet, invenimus concilia, ut ut in se tantummodo particularia ab ecclesia tamen pro œcumenicis haberi, si ex adverso consideramus plura concilia in se quidem generalia ab ecclesia tamen vel pro parte vel in totum repudiari, quid aliud exinde concludamus, necesse est, nisi ecclesiam dispersam esse judicem ultimum, qui quemadmodum de conciliis ipsis generalibus, ita quoque de veritate doctrinæ ab iisdem definitæ infallibiliter judicare potest & debet,

§. XXVI.

nodi postmodum ab ecclesia occidentis esse receptos, hoc ipsum tamen satis probat receptioni universæ ecclesiæ id solum tribuendum esse ut Synodus aliqua generalis veri, legitimi & œcumenici concilii vires nanciscatur. Decisionibus quoque Pseudo concilii Ephesini viriliter obstitit S. Leo Pontifex tam in concilio cum occidentalibus Romæ celebrato, quam in plurimis Epistolis desuper scriptis. vid. Fleurii cit. Lib. XXVII. §. 43.

§. XXIV.

Sunt enim concilia ut ut œcumenica & legitima non ipſa eccleſia univerſalis, quæ teſte Apoſtolo eſt *columna & firmamentum veritatis*, ſed eam tantummodo *repræſentant*. *) Si ergo eccleſia eſt infallibilis, ſi concilia œcumenica ipſa non ſunt eccleſia, ſi ergo concilia œcumenica ideo tantum infallibilia ſunt, quia eccleſiam repræſentant, quid aliud niſi id exinde ſequitur, infallibilitatem a Servatore promiſſam ultimatim in ipſa eccleſia diſperſa reſidere **).

§. XXV.

*] *S*unt verba Synodi conſtantienſis in Præfat. Conf. Perill. de Riegger Inſt. Juriſp. eccleſ. Cap. 4. §. 320.

**] Hinc P. Annatus in adparatu ad Theol. Tom. II. Sect. I. Art. 1. circa finem adpoſite ait plura eſſe generalia, & univerſalia eccleſiæ concilia, quæ tamen œcumenica dicet nemo, *ad hoc enim, ut ſit* œcumenicum ſeu generale legitimum *requiritur inter alia, ut* ſit in eccleſia pro œcumenico receptum. Cui conſonat Reverendiſſ. a Rauttenſtrauch Inſt. Jur. eccleſ. Cap. IV. §. 89. in Nota, ubi

ubi ait, in universum quænam legitima aut Pseudo - Concilia sint. æstimandum esse ex adprobatione summi Pontificis nec *non ex acceptatione ecclesiæ universalis.* Recte igitur concilii Nicæni II. Patres Act. VI. Pseudo Synodum Constantinop. contra imagines congregatam ea ex ratione rejecerunt, *quod hujus Synodi sonus non in omnem terram more Apostolorum exiverit, quemadmodum sex sanctarum & universalium Synodorum*, quibus nil aliud Patres insinuare voluerunt, quam hanc Synodum ideo non esse œcumenicam & legitimam, quia ab ecclesia universali ita recepta non est, quemadmodum reliquæ sex sanctæ & universales Synodi receptæ erant. Nec quis forte metuat, hoc modo infallibilitatem conciliorum œcumenicorum labefactari, eamque, dum ecclesiæ dispersæ judicium super illa adjudicatur, tacite his abjudicari. Res plana est, & sua tam conciliis, quam ecclesiæ inconcussa manet infallibilitas, dummodo naturam utriusque oculo a præjudiciis vacuo intueamur. Ecclesia semper est & manet legitima atque œcumenica, hinc etiam ejus infallibilitas est absoluta, & a nulla conditione dependens. Ast concilia generalia hypothetice tantum tunc nempe infallibilia sunt, quando ecclesiam universalem vere repræsentant, quod autem non fit, *nisi summi Pontifices & Episcopi nulla vi, nullo metu, nullis illecebris, nulla factione studiove partium corrupti traditionem ecclesiarum, quas repræsentant, fortiter tueantur, neque ab ea volentes, prudentesque recedant, eamque illa sinceritate, qua par est, & fide & diligentia ex divinis libris, & ex probatis traditionis ecclesiasticæ monumentis hauriant*, uti Muratorius de Mod. ingen. in Relig. negat. lib. I. Cap. 14. ait,

ait, si ergo hæ leges conditionesque in conciliis generalibus observantur, nemo est, qui de eorum infallibilitate dubitet, ast cum non omnibus facultas & occasio adsit examinandi, an prædictæ leges revera in conciliis observatæ sint nec ne, vel ex hoc solo quivis concludere poterit ecclesiam dispersam esse, ultimum idque infallibile conciliorum Criterium. Ut paucis omnia complectar: sunt concilia œcumenica infallibilia. Cum autem hæc infallibilitas a certis legibus & conditionibus mox antea recensitis dependeat, ecclesiæ dispersæ est judicare, utrum hæ leges & conditiones vere adimpletæ fuerint, quemadmodum eas in omnibus iis conciliis, quæ tanquam œcumenica veneratur, observatas, in concilio Ariminensi; Mediolanensi, Ephesino II. & in aliis pluribus Pseudo Synodis neglectas fuisse hactenus sincera fide semper judicavit. Conf. Muratorius loc. cit. & Illustriss. Bossuet in defens. Declar. Cleri gallic. lit. X. Cap. 31. ubi ait: *quoniam in conciliis non statim ac semper æque perspecta est nominis christiani repræsentatio, quin interdum dubitari contingat, an aliquod concilium vere generale sit, tum ecclesiæ consensu rem confici Romanorum quoque Pontificum auctoritate ostendimus.*

§. XXV.

Demonſtrata jam ſatis, ut opinor, eccleſiæ diſperſæ infallibilitate, videamus nunc, quid argumentis a Febronio allatis ponderis inſit.

§. XXVI.

I. Promiſſionem illam a Chriſto Domino Apoſtolis factam: *ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi*, univerſæ tantum eccleſiæ factam eſſe ex S. Auguſtino probat. Ego S. Auguſtino ultro adſtipulor, quin tamen Febronio conſentiam. Singulos enim Epiſcopos ſibi ipſis relictos (prout loquitur concil. Senonenſe a Febronio ibi adductum) falli poſſe, omni dubio caret, aſt inde neutiquam ſequitur omnes etiam quamvis non congregatos inter ſe ſe tamen conſentientes ſimili erroris periculo obnoxios eſſe, quin imo (§. X. XI. & XII.) jam ſatis ſuperque oſtendi textum a Febronio hic citatum

ſalvis

ſalvis interpretationis ſanæ regulis de conciliis plane intelligi non poſſe *).

§. XXVII.

*] In eo potiſſimum & hic, & in aliis locis halucinatur Febronius, quod textus & ſententias Patrum de univerſa Eccleſia loquentes, ad concilia univerſalia ſemper reſtringat, ac ſi eccleſia nullibi niſi in conciliis exiſteret, cum tamen jam ſuperius [§ XXIII.] a me demonſtratum ſit, concilia non eſſe ipſam eccleſiam, ſed eam tantummodo *repræſentare*. Non deprimo uti jam ſupra [§. XXIII. **] latius oſtendi, per ea, quæ hucusque dixi, auctoritatem conciliorum, eorumve infallibilitatem. Abſit hoc longe a me: id tantummodo exinde evinco, infallibilitatem a Chriſto promiſſam non in concilio *qua tali* [ut Scholaſticorum verbis loquar] ſed in ipſa eccleſia diſperſa reſidere, adeoque eam eſſe ſubjectum proprium & ultimum hujus peculiaris doni, quin imo, ſi dicendum, quod res eſt, ii, qui infallibilitatem eccleſiæ diſperſæ abnegant, ipſam conciliorum œcumenicorum auctoritatem ludibrio exponunt, cum enim experientia convicti inficias ire nequeant, Patres in conciliis congregatos quandoque officio ſuo deeſſe, & leges conditionesque, a quibus eorum infallibilitas dependet, negligere poſſe, qua, quæſo ratione & ſe & alios convincent, hoc vel illud concilium eſſe legitimum & vere œcumenicum, ſi judicium eccleſiæ diſperſæ ſpernant, aut ſaltem ejus infallibilitatem in dubium revocent.

II. Ait ſinceram antiquitatem mox dictum promiſſum Salvatoris non aliter quam de conciliis intellexiſſe, & hæc per octo Sæcula pro ſola & ultima *norma* finiendarum de fide controverſiarum habita eſſe. Sed ſi vel unicam Pelagianæ hæreſis hiſtoriam conſideraſſet, procul dubio ab hoc argumento abſtinuiſſet. *)

§. XXVIII.

III. Longa verborum phalange demonſtrare nititur in congregationibus res melius perpendi, ipſas etiam oppoſitiones & diſputationes, quæ ab hujusmodi conventibus abeſſe non ſolent, dare anſam penitiori rerum diſcuſſioni, ex qua amplior cauſæ dilucidatio reſultat; etiam in aliis Societatibus nul-

 lam

*] Qua fronte enim S. Auguſtinus cauſam Pelagianorum *finitam* jam eſſe aſſerere potuiſſet, ſi ille, & cum eo eccleſia catholica plenarium tantum concilium [quod in cauſa Pelegii nondum celebratum erat, & Pelegii fautores urgebant] pro ſola & *ultima* finiendarum de ſide controverſiarum *norma* & judicio habuiſſet.

lam pro vero & legali judicio agnoſci ſententiam niſi eam, quæ a *congregatis* Senatoribus concepta & lata eſt. Hæc & his ſimilia, quæ Febronius tam ex proprio cerebro, quam ex concil. Conſtantinop. II. depromit, nil aliud comprobant, quam ſenſum & conſenſum eccleſiæ ſuper controverſiis fidei exortis longe expeditius mediantibus conciliis generalibus haberi poſſe, id quod nemo negat, & ego ſupra (§. XIV.) ultro conceſſi. Sed hæc allata a Febronio argumenta nunquam evincent, Crhiſtum Dominum eccleſiæ ſuæ per orbem diſperſæ minus quam congregatis Epiſcopis eam repræſentantibus adſiſtere, ne in errorem labatur. Jam enim (§. XV.) monui, infallibilitatem hujus ſacræ civitatis non ab eruditione, non a diſquiſitione, vel ut uno verbo dicam, non ab humanis Epiſcoporum viribus, ſed ſolum ab inviſibili Spiritus S. adſiſtentia dependere, quo præſuppoſito ea, quæ ab humanarum ſocietatum ſimilitudine deduci forſan poſſunt argumenta ſua ſponte corruunt.

§. XXIX.

§. XXIX.

IV. Ea, quæ præcedenti §vo allata ſunt, Febronius auctoritate Gerſonii & Allmaini, quos ſolos in patrocinium ſuæ opinionis adducit, fulcire contendit, quorum primus eccleſiæ diſperſæ auctoritatem definiendi controverſias fidei ſolum *materialiter* ſeu *potentialiter* attribuit, ſecundus vero plane abjudicat. Aſt quemadmodum me auctoritas Allmaini contra tot argumentorum a me adductorum pondera ne tantillum movet, ita ex Gerſone Doctore alioquin famigeratiſſimo libenter ſciſcitari vellem, unde is de adſiſtentia Servatoris *materiali* & *potentiali*, quam ſtante ſua hypotheſi de eccleſiæ diſperſæ potentiali & materiali infallibilitate neceſſario admittere vel potius fingere debet, edoctus ſit. Ego ſane in omnibus, qui hanc peculiarem eccleſiæ dotem evincunt, S. Scripturæ textibus nullam materialem aut potentialem, ſed tantummodo actualem, quæ *omnibus diebus* præſto ſit, infallibilitatem promiſſam eſſe invenio.

§. XXX.

V. Varias ratiunculas ſubnectit, quibus ſtabilitam a ſe opinionem adhuc magis fulcire vult. I. Non ſatis conſtare de promiſſa a Chriſto eccleſiæ diſperſæ infallibilitate II. Sanam rationem omnibus perſuadere viam conciliarem ad detegendam determinandamque veritatem multo eſſe aptiorem, quam diſperſum quommodolibet diligens examen. III. Singularia multorum decreta non poſſe coaleſcere in unum, ut univerſalis eccleſiæ formet deciſum. IV. Suæ ſententiæ ſuffragari uſum & diſciplinam eccleſiæ. Non agi hic de argumentis humana ratione aptis ad indagandam veritatem, ſed de *deciſo ultimo* & ex inſtitutione Chriſti infallibili. Ad ſingula reſpondebo, & quidem ad I. ajo, præter textum Act. XV. v. 28. & Mathæi XVIII. v. 20. nullum in S. Litteris occurrere, qui de congregatione Apoſtolorum expreſſe loquatur, adeoque de ſingulis absque congregatione inter ſe conſentientibus non æque ac de congregatis intelligi poſſet, quin

imo

ino supra (§. X. XI. & XII.) jam ostendi, textum Mathæi XXVIII. v. ult. & Joan. XVI. ad concilia plane adplicari non posse. Ad II. non nego viam conciliarem esse plerumque aptiorem ad eruendum catholicæ ecclesiæ sensum, sed inde non sequitur, eam esse quoque unicam. Ad III. id, quod tam perfricte negat Febronius, ex ipsis rerum argumentis jam (§. XVIII.) exemplo Synodi Constantinopolitanæ I. ostendi, quæ tantum moraliter una & œcumenica est, re ipsa autem ex duobus conciliis & tempore & loco distinctis constat. Ad IV. ea, quæ (§. XVII.) pro infallibili ecclesiæ dispersæ auctoritate ex historia pelagianæ hæresis deduxi, satis superque demonstrant pro mea non minus quam Febronii Sententia usum & observantiam ecclesiæ stare, & si S. Augustino lib. IV. contra duos Epist. Pelag. Cap. ult. fides adhibenda est, quam ei adhibendam esse, nec Febronius, nec ullus alius negabit, plures longe hæreses per ecclesiæ dispersæ judicium, quam per concilia generalia confixæ sunt. Inte-

rim concilia, ubi haberi possunt, esse remedia expeditissima dirimendarum fidei controversiarum, in eo me Febronius æque ad V. facile consentientem habet. Id unum satis mirari nequeo, quod scriptor alioquin eruditissimus hic id ipsum, quod in quæstione vertitur, pro fundamento suæ opinionis adducere non vereatur, & sui quasi immemor argumenta, quæ antea pro excludente conciliorum infallibilitate ex humanæ sapientiæ scriniis depromsit, hic proprio iterum gladio jugulet.

§. XXXI.

VI. In scholiis §. 8vo subnexis sibimet ipsi objicit, ecclesiam docentem æque ac definientem esse infallibilem, idque auctoritate concilii Trid. Seff. IV. corroborat. Sed mirum, quanta facilitate is nodum hunc gordium solvat, vel potius dissecet. Ait enim ecclesiam *docentem*, non ex solis Episcopis, uti *definiens*, sed ex pluribus aliis doctoribus consistere, adeoque consensum ecclesiæ docentis non ex sola Episcopo-

rum

rum ſuper dogmate quodam concordi ſententia, ſed exinde demum reſultare, ſi univerſum fidelium corpus extraconciliari Epiſcoporum ſententiæ adquieſcat, ex qua communi adquieſcentia dein univerſalem eccleſiæ obſervantiam oriri putat, quam & hic & in aliis locis æque ac conciliorum definitiones erroris expertem eſſe ultro fatetur. Sed nodum in ſcirpo quærit Febronius. Sunt ſane in eccleſia præter Epiſcopos plures adhuc Paſtores, qui munus docendi obeunt. Inter Patres ſpeciali Doctorum eccleſiæ nomine inſignitos non paucos numeramus, qui uti bene advertit Febronius, Epiſcopi nunquam fuerunt. Id tamen non diffitebitur eruditus noſter adverſarius, inter Epiſcopos & reliquos, qui doctorum munere funguntur, id præcipue intercedere diſcriminis, quod illi ad munus docendi & paſcendi ab ipſo Chriſto Domino immediate vocati & inſtituti, hi vero tantum ab Epiſcopis in partem ſollicitudinis adſciti ſint, ex quo ſua ſponte fluit ſolos Epiſcopos eſſe nativos eccleſiæ doctores, adeoque etiam ſuborto quodam de fide

aut moribus dubio judices. In quo, uti mihi quidem videtur, ſola quoque & unica ratio conſiſtit, cur in conciliis œcumenicis nemo niſi Epiſcopi ex inſtitutione Chriſti jure ſuffragii deciſivi gaudeant. Nec diſtinctio a Febronio ſchol. 13 excogitata, qua Epiſcopos quidem in conciliis *judices* eſſe admittit, extra concilia autem ſolum *cuſtodes* & *teſtes* ſanæ doctrinæ eſſe contendit, nobis negotium faceſſit, hæc enim diſtinctio, quam potius ſupterfugium compellare poſſumus, & toti antiquitati & ipſi Febronio contradicit, qui Cap. IV. §. 2. & Cap. V. §. 1. ſchol. 5. totus in eo eſt, ut argumentis invictis demonſtret Epiſcopos etiam ſingulos eſſe primos controverſiarum fidei judices, quod etiam Cap. VI. §. 6. ſchol. 7. lectoribus ſuis denuo ſollicite inculcat. Si ergo Epiſcopi & ii quidem ſoli tam in conciliis, quam extra illa doctores ſunt ea prærogativa a Chriſto Domino inſtructi, & a reliquo Doctorum ſive paſtorum Choro diſtincti, ut decretorium de cauſis fidei judicium ferre queant, conſequens quoque eſt, eccleſiam docentem,

quate-

quatenus de ambiguis doctrinæ capitibus explanandis sermo est, uti in conciliis, ita etiam extra ea ex solis Episcopis constare, adeoque in eo sensu ecclesiam docentem a definiente nullatenus differre. Et sane, si omnes vel plurimi orbis Episcopi in eandem doctrinam conspirant, adeo, ut ex adversa parte pauci tantum stent, non video, quid illi *universali ecclesiæ observantiæ* desit, quam ipse Febronius cum Vincentio Lirinensi infallibilem esse ultro fatetur. *) An ne forsan & adquiescentiam *laicorum* prætendit, prout schol. 6. non obscure indigitat, & exemplo Lutheranæ & Calvinistarum sectæ corroborare contendit? sed dicat mihi Febronius, undenam & quando universalis ejusmodi adquiescentia speranda sit? *oportet*, juxta effatum Apostoli *esse hæreses*, & erunt quoque in ecclesia Christi semper hæreses eæque non novæ tan-

*] Hinc non immerito a Perillust. de Riegger Inst. Jur. eccles. P. I. Sect. II. Cap. I. §. 221. in Not. *fluctuantis & sibi non adeo constantis hac in re doctrinæ* jure merito insimulatur

tum, ſed etiam veteres, usque dum fiat unus Paſtor unumque ovile. Exiſtunt adhucdum Ariani, Neſtoriani & Huſſitæ, exiſtunt adhucdum Lutherani & Calviniſtæ, quamvis eorum errores non ſolum judicio eccleſiæ diſperſæ, verum etiam a conciliis œcumenicis jam dudum confixi fuerint, vel ergo ipſis etiam conciliis generalibus infallibilitatem abneget Febronius, vel prætenſam illam adquieſcentiam univerſi corporis eccleſiæ dimittat neceſſe eſt.

§. XXXII.

VII. Obſtantem ſibi magnopere S. Auguſtini auctoritatem cauſam Pelagianorum ſine concilio generali ſinitam eſſe pronuntiantis ex ipſis S. Doctoris verbis in ſuas partes trahere conatur, dum ille lib. IV. contra duas Epiſt. Pelag. Cap. ult. aſſerit, perniciem hujus hæreſis tam *apertam fuiſſe, ut concilii congregatione opus non eſſet*, ex quo infert non judicium eccleſiæ diſperſæ hanc hæreſin cum Innocent. S. Pontifice condemnantis S. Auguſtinum permoviſſe, ut

cauſam

causam Pelagianorum finitam esse assereret, sed apertam ejus perniciem sive falsitatem. Ast quæro ego, undenam constabat huic S. Doctori apertam adeo esse perniciem doctrinæ Pelagianæ, quæ non aliquot hominum obscurorum tantummodo animos occœcaverat, sed orientem pariter ac occidentem Carthaginem non minus quam Romam turbaverat? undenam, inquam S. Augustino de hoc constabat? an ne forsitan tantam suæ doctrinæ habuit fiduciam, ut quod ipsi non probaretur, statim apertam & omni conciliari disquisitione penitus indignam hæresin esse pronuntiare auderet? sane hoc cum summa hujus sancti & eruditissimi viri modestia componi nequit. Sed undenam ergo, urgebit Febronius, S. Augustino constabat tam apertam esse perniciem Pelagianæ hæresis? audiat id ex ipso S. Augustino, qui lib. I. contra Julianum Cap. II- laqueis Pelagianis sententiam Innocentii I. S. Pontificis opponit, *quam Apostolica & Romana* cum ceteris *tenet perseveranter ecclesia.* Hic igitur consensus ecclesiæ dispersæ, hoc rescriptum summi Pasto-

ris

ris a reliquis orbis Episcopis summa veneratione receptum S. nostrum Doctorem adeo convicit, ut Pelagii doctrinam apertam perniciem & nulla ulteriori concilii generalis discussione dignam esse pronuntiaret, quin imo in serm. II. de verb. Apost. *causam* jam *finitam* esse declararet. Nec sibi forsan blandiatur Febronius, consensui Episcoporum per orbem dispersorum universalem illam, quam supra ad observantiam ecclesiasticam requirebat, adquiescentiam accessisse, hoc enim non contigisse, sed pestem pelagianam adhuc longo posthac tempore per orbem grassatam esse; & historia ecclesiastica, & ipse S. Augustinus testatur, qni dum loco mox citato causam Pelagii jam finitam esse pronuntiat, simul quoque, ut *hic error aliquando finiatur*, enixis votis exoptat.

§. XXXIII.

VIII. Demum omnem § 9*no* movet lapidem, ut ex causa S. Cypriani ejusque cum Stephano S. Pontifice de rebapti-

rebaptizandis hæreticis controverſia opinionis ſuæ argumentum eliciat, quod in eo potiſſimum conſiſtit, S. Cyprianum, etſi S. Pontifex cum plurimis orbis Epiſcopis pro valore baptiſmi ab hæreticis collati ſtaret, tamen neque a S. Auguſtino, neque ab aliis viris probis pro hæretico habitum fuiſſe ſolummodo ea ex ratione, quia illo tempore *veritas eliquata nondum per plenarium concilium ſolidata erat*, uti ipſe S. Auguſtinus lib. II. de baptiſmo Cap. IV. fatetur. Sed ſi remota omni præconcepta opinione hiſtoriam hujus controverſiæ conſideramus, & omnes, quæ circumſtabant res, paulo accuratius penſitamus ſtatim adparebit, conſenſum illum eccleſiæ diſperſæ, cujus ab errore immunitatem hactenus vendicavimus, tunc temporis non adfuiſſe; quamquam enim Stephanus S. Pontifex plures longe quam S. Cyprianus Epiſcopos ſibi conſentientes haberet, inſignis tamen quoque nnmerus Epiſcoporum teſte S. Auguſtino lib. II. contra Gaudent. Cap. 8. ex parte S. Cypriani ſtabat, qui infirmitatem baptiſmi ab hæreticis collati

non

non sigillatim tantum, verum etiam in pluribus, plurium locorum conciliis *) strenue asserebant, & argumenta non quidem vera adeo tamen verisimilia adstruebant, ut ipse S. Augustinus loco mox cit. *tale aliquid* quod Stephanus jussit, *asserere non auderet, nisi ecclesiæ catholicæ concordissima auctoritate firmatus fuisset.* Non ergo adeo concors tunc adhuc erat Episcoporum per orbem dispersorum super validitate baptismi ab hæreticis collati sententia, *ut pauci tantum ex adverso steterint*, quin potius S. Cypriani cum 80 & pluribus Episcopis tam doctrina quam pietate conspicuis, & demum tot conciliorum desuper celebratorum dissensus quæstionem hanc adeo ambiguitatis nebulis adhuc involvebat, ut veritas non nisi per plenarium concilium *solidari* potuerit. **)

§. XXXIV.

*] Quæ videri possunt apud Patrem Annatum in adparat. Lib. 5. Sect. 4. Art. 3. Tom. 2. opp.


**] Confer. Claudii Fleurii cit. differt. XII. in hist. ecclesiast. pag. 648. & 649. ubi inter causam Pelagii & S. Cypriani eandem differentiam adstruit, atque exinde colligit, in illa congregationem concilii generalis supervacaneam, in hac vero necessariam fuisse.

§. XXXIV.

Reliquas, quas adhuc hinc inde Febronius ſpargit ratiunculas, refellere animus mihi ideo non eſt, quia cum iis, quas hactenus jam refellebam, reipſa coincidunt. Cæterum quemadmodum Febronius ſuam, ita & ego meam ſcriptitationem judicio eccleſiæ catholicæ lubens volensque ſubjicio.

F I N I S.




EMANUEL
VITT
BIBLIOTECA